

Petrus de Vinea

*Ep. III 23 (Semper
hactenus, ut loquamur...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 23 (Semper
hactenus, ut loquamur...)*

luglio 1249

Eidem significat, quod mittit dextrarios et uictualia fratri suo in subsidium Terrae Sanctae.

1. Semper hactenus, ut loquamur ad litteram, continua propositi tenacitate firmavimus, qualiter uos et uestros, quos purae mentis affectione diligimus, operis euidentis indiciis honorare possemus. 2. In cuius propositi prosecutione tanto persistimus fortius, immo robustius animamur, quanto uos crucis negotium in Terrae Sanctae seruitiis, de cuius succursu celeri prae ceteris orbis terrae nobilibus siue principibus precipua nos cura sollicitat, tam prudenter quam utiliter assumpsisse uidemus. 3. Ad quod uellet personaliter et potenter una uobiscum ad presens, teste supremo Iudice, nostrae potentiae uirtus insurgere, ut, ubi maxime nostra res agitur, tantorum principum societate, tam gratifica comitiua, suffulti potentia, congaudere possemus, nisi concepta uel antiquata, quin potius papae nostri, nequitia, tam in hiis quam in aliis, prout uniuersalis iam notio publicat, nostris desideriis obuiaret uel repugnaret. 4. Vellemus nichilominus, dum personalia non possumus adiuuamenta porrigere uobis et genti uestrae, de suffragiis aliis Regni nostri et opulentia magnifice prouidere, si caristia uictualium, quae in Regno nostro iam duobus preteritis annis inualuit, et presentem inclusit uoluntati nostrae, quam super hoc promptam et paratam offerimus, non obstaret. 5. Quamquam igitur uobis et uestris, ex causis quas diximus, nostrae serenitatis affectio non ualuerit, sicut amicabiliter uoluit prouidere, nichilominus tamen, uestra dilectione commoti et tam laudabili commodo persuasi, maluimus nobis ipsis et fidelibus nostris regnicolis in ipsa uictualium subtractione deesse, quam uobis, fidelibus uestris et aliis

regni uestri nobilibus, qui per Regnum nostrum transitum habuerunt in tam utilis et sancti propositi prosecutione, deficere, in quibus uestris et eorum necessitatibus nostra si posset liberalitas subueniret. 6. Nunc, etiam ad ostendendum purae deuotionis indicia, quam ad uos et uestros semper habuimus et habemus illesam, I. de..., nuntio... comitis Tholosani, carissimi fratris uestri, mille saumas uictualium curiae nostrae necnon et quingentos dextrarios fecimus liberaliter assignari dicto... comiti pro uiagio suo, ex parte nostrae celsitudinis presentandos. 7. Sibi nichilominus a maiestate nostra concessa licentia, quae, ad opus eiusdem... comitis, grassiam in Regno nostro libere emere ualeat pro ipsius et familiae suae usibus oportunam.